



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia
Sacra Et Hvmana Libri XVI**

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1634

34. De Inuectiua:

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70090)

De Inuectiua.

CAPVT XXXIV.

Etsi ad demonstratiuum genus magis pertinere videtur inuectiua tractatio, quando tamen huic generi frequenter immiscetur, & à nonnullis in eo collocatur oratio, non pigebit hic aliqua de eadem adscribere. Quod apud poetas est satyra, hoc ferme apud oratores inuectiua oratio, scilicet mordax, & ad perstringendos hominum mores accommodata. Differt ab accusatione, quod hæc fori cancellis concludatur, illa extra fori septa volitet, hæc damnationem rei intendat, illa notam potius spectet infamiae: Hæc modum, & ordinem teneat magis temperatum, illa furore quodam ingenij, & orationis impetu potius rapiatur.

*Inuectiua
vt differt
ab accusa-
tione.*

*Inuect.
duplex.*

Duplex est autem inuectiua; vna in homines, altera in vitia. Quæ hominum, priuatarum scilicet personarum spectat infamiam, numquam temerè vsurpanda est, nisi tales ipsi sint, qui exagitantur, vt in summam desperationem prolapsi, & apud omnes infamia notatissimi nullum bonæ spei locum reliquerint.

Hæc enim plerumque in eos assumuntur tela, qui viuos, & mortuos vulnerent, & ex eorum infamia terrorem alijs, vitiorymq; odium sempiternum inurant.

Hæc mente D. Nazianzenus in Iulianum, D. Hilarius in Constantium pro Catholica religione sunt inuecti. Qui vero priuata solent odia per maledicos stylos in principes viros eructare, parum alijs proficiunt, sibi plurimum nocent.

*Ridenda poemata malo,
Quam te conspicue diuina Philippica fama.*

Volueris à prima qua proxima.

Alter, quæ in hominum mores, & deprauatæ vitæ licentiam inuehitur, vtilior est, & melior. Constat autem ex philosophiæ præceptis, & altissimæ disciplinæ oraculis, quæ vi, & robore amentatæ cuiusdam orationis altissime desiguntur in pectora.

Rursus alia inuectiua, vt Satyra Comica plus habet salis, & moralis vrbanitatis, etiam

dum vitia perstringit, haud obscure depingit. Qualia nimis multa sunt in Petronij Satyrico. Alia prorsus ætis, & generosa est, fluens ex Inuectiua sublimi sapientia, nihil comicum, nihil leue, & grauius ludicrum affectans; sed tota in carpendis moribus posita. Extant certè nonnulla in ipso Arbitrio præcella, & inuectiuis maioribus digna. Qualia sunt ista:

Et quis mihi hanc solitudinem imposuit adolescens omni libidine impurus, & sua quoque confessione dignus exilio, stupro liber, stupro ingenuus, cuius anni ad tesseram venerunt, quem tamquam puellam conduxit etiam, qui virum putauit.

Quid ille alter die, qui tanquam togæ virilis togam sumpsit, qui ne vir esset à Matre persuasus est, qui opus muliebri in ergastulo fecit, qui postquam conturbauit, & libidinis suæ solum vertit, reliquit veteris amicitiae nomen, & pro pudor! tamquam mulier Sequituleia vnus noctis tactu omnia vendidit. Hæc in personam. At in mores grauius & sententiosè.

Nemo cælum putat, nemo iurandum seruat. Nemo Iouem pluris facit: Sed omnes operis oculis sua bona computant.

Quod verò ad ordinem, & diuisionem attingit, si iusta est inuectiua in hominem, tum eodem filo pertextitur, quo vituperatio: vel enim vitam inspicit à puero, perstringitque singula magna orationis libertate, & toto amplificationum apparatu, vel certis instat capitibus, & vitijs, quæ sibi exagitanda proposuit, vt ex orationibus Demosthenis in Aristogitonem, Ciceronis in Antonium, Pisonem, Catilinam, Vatiniuum licet agnoscere.

Ferax est istud, & procliuè argumentum, nec ei, qui per istas reperit orationes, deesse forma dicendi potest. Quod si inuectiua obiter tantum assumitur, tractatur vt amplificatio per certa argumenta, & figuras, quæ ad intimos sensus vellicandos plus habeant virtum.

De obiurgatione.

CAPVT XXXV.

Obiurgatio differt ab inuectiua, quod hæc sit aduersus inimicos, illa dilectos etiam

*Obiurgatio
differt
ab inuectiua
discreta
atque*